

riarcha, è manu Georgii Arsa abtulit, ab ejus degradatione exequenda impeditus per incursum Persarum in Ægyptum factum, perque captam ab iisdem Alexandriam. Atqui Persæ Ægyptum, & Alexandriam ceperunt anno Christi 616. Theophane teste ad annum Heraclii VI. Incarnationis secundum Alexandrinos 607. qui Kalendis Septembris anni Chr. 615. inchoatur. *Hoc anno Persæ Ægyptum, Alexandriam, & Libyam ad usque fines Æthiopia subegerunt; & collecta captivorum multitudine, spoliis etiam amplissimis, & pecuniarum vi exportata, suas in provincias redierunt. Quamobrem (ut inquit Pagius ad ann. 616. num. 6.) quum hoc, & superiori anno Ægyptum Persæ affixerint, & mense Novembri hujus anni (616.) Sanctus Johannes Eleemosynarius vitam cum morte commutavit, Monothelitarum exordium, ultra hunc annum differri non potest. Hæc tamen hæresis, sicuti & Manichæorum, diversis temporibus erupit.* Hæc Pagius. Verum Joannem Eleemosynarium, non nisi anno Chr. 620. obiisse, ex eo colligitur, quod Leontius in ejus vita tradit, illum, Heraclio agente, Alexandrinam Sedem capessivisse, adeoque non ante annum 610. quo Heraclius Imperio potitus est; & quod decem annos, (saltem incompletos) sedisse dicitur Nicephoro Constantinopolitano, Theophani, Cedreno, & Nicephoro Callisto; non enim crediderim (ut verbis utar Christiani Lupi in dissert. de Sexta Synodo cap. 4.) Sanctum Joannem, (quod in notis ad ejus vitam vult Johannes (1) Bollandus) tunc statim fugisse in Cyprum, insulam natalem, eodem anno defunctum ibidem, ideoque Episcopatu fuisse admotum anno Domini 606. sub Imperio Phocæ. Leontius Neapolitanus Episcopus diserte dicit promotum sub Heraclio. Et capta Alexandria, mox in patriam fugere, olet hominem mercenarium, nequaquam tantum Episcopum. Sub Persarum barbarica captivitate gementem populum nequaquam dereliquit sua sponte, sed quadriennio post, crediderim, nescio qua de causa, ab illis proscripsum. Civitatis interim calamitas dormita-

(1) Et Quænius in Oriente Christiano Tom. 2. pag. 446.